

UNIVERSITEIT DE LUYK

CORRESPONDANCE
DE
J. P. BOISSONADE


II
F-M

BIBLI.
DE
L'UNIVERSITE
M.S.
1559



BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
M S.

1552



MS
Fiches faltas

Correspondants
de
J. F. Boissier

Ms 452.

II

F. M

Jo. Franciscō Boissonadio
Viro ornatissimo
S. P. Q.

Jo. Georgius Krabingerus.



Tuis litteris, Vir humanissime, nihil gratius
mihi fuit, utpote qui doctrinam Tuam eximiam
semper mirabar, deliciasque Tuis adeo capiebar,
ut in communibus studiis magistrum ac ducem
suavissimum Te suspicerem.

Accipere igitur quod petisti apographum Hiero-
chis Facetiarum e codice Monac. quam accuratis-
sime a me confectum summæ meae erga Te ob-
servantiae gratissimique animi testem. Adieci
Philagrii grammatici Facetias, quae in MS. nostro
Hierocleis adhaerent et ob rerum similitudinem
a Pontano una cum illis in sermonem Latinum
conversae videntur.

Velim mihi ignoscas, quod nunc demum optatis
Tuis respondi; litteris enim Tuis acceptis feriae
nostrae auctumnales erant iam finitae, unde factum
est, ut horis tantum subsequivis rei operam dare possem.

Ceterum codicem ipsum ad Te Parisios mittendum
 libenter curassem, si commode id fieri potuisset.
 Quum enim opus fuisset licentia summi Senatus res
 sacras et scholasticas administrantis, optimum
 visum mihi est ambagibus missis folia illa mea
 mane in usum tuum religiosissime describere.

Philippum Nassum et Ludovicum Simmerum, vi-
 ros nobis amicissimos, meo nomine plurimum sal-
 vere iubebis.

Vale, Vir ornatissime, et fave Krabingero tui ob-
 servantissimo.

Monachii J. 21. Novemb. 1847.

[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

Viro ornatissimo
 Jo. Franc. Boissonadio
 S. P. D.
 Jo. Georg. Krabinger.

Litteras Tuas d. 4. Dec. ad me datas
 aegrotus accepi, graviterque sume commo-
 tus, quum cognovissem, quod apogra-
 phum Facetiarum Hieroclis, et Phi-
 lagii summa cura in usum Tuum a
 me ipso ex cod. nostro transcriptum
 tunc temporis nondum in manus Tuas
 pervenerit.

Scito, Vir praestantissime, me iam
 d. 21. Novemb. fasciculum illum una
 cum litteris meis per nuntium biblio-
 thecae nostrae exultantem legatio-
 ni Regis vestri tradendum curasse,
 ut quam primum ad Te mitteret.

Lothae vero pro Tolos auctivi, ex-

126
spectatum esse cūctorem, qui scripta
illa secum Parisios ferret. Spero itaque
fore, ut ea interim ad Te perlata sint;
sin secus, rogo Te, ut statione certio-
rem me facias, ut ex morbo paululum
recreatus alterum Tibi exemplum
ex cod. describam, quod pro summa mea
in Te libenter studioseque faciam.

Vale et fave Krabingero Tui ob-
servantissimo.

Monachii d. 28. Dec. 1847.

1
2
Monsieur

Monsieur F. F. Proissorade
Professeur de Langue et de Littéra-
ture Grecques au Collège de France,
membre de l'Académie des Inscriptions
et Belles-Lettres et Chevalier de la
Légion d'Honneur

DEC. 1847

Paris
Can Secretariat de
la Substitut.

Viro summo
Joanni Francisco Boissonadio
S. L. J.
Jo. Georgius Krabinger.



Occasionem commodam per virum doctissimum
C. Hoffmannum Parisios profecturum ad Te
scribendi mihi oblatam praetermittere non po-
tui, quin et litteras ad Te darem et pro Lachrymæ
Tuæ, munere bellissimo, gratias quam maximas a-
gerem. Cognosces, Vir praestantissime, ex scripti-
unculis nostris, quas Hoffmannus Tibi deferet, o-
peram me dedisse, ut librum Tuum sane doctissimum
et elegantissimum in ephemeridibus litterariis Aca-
demiciis ^{statim} commemorarem praedicaremque.

Spero fore, ut propediem Synesianoꝝ operum
Tomum I., qui ex preliis Landisbutanis tandem est
proditurus, ad Te transmittere possim.

Vale, Virorum optime, et fave Krabingero Tui ob-
servantissimo.

Monachii d. 12. Jun. 1850.